

1613

*Laurentius
Venerius,
ad Ascri-
vium lega-
tus.*

*Turca
exercitum
Adrianopo-
li cogunt.*

*Augustinus
Dulcius in
Epirum &
Byzantium
mittitur.*

*Achoma-
tes Byzan-
tium redit.*

præfectis, ut triremes viginti magnumque galeonum instruerent, præceptum. Ascrivium Laurentius Venerius, legatus, missus; eam enim civitatem & loci natura & arte munitissimam in Rhizonici sinus penetralibus sitam, summo studio custodiendam Patres existimabant. Itaque in præsidii supplementum ut ducenti pedites, nitrati pulveris omnisque bellici apparatus, bisque cocti panis vis eo deveheretur, latum; arcium quoque architecti adjecti. Achomates interea, qui Adrianopoli substiterat, exercitum augere, una cum Nasupho militaribus muneribus incumbere, sagittarum missiliumque ejaculatione, equorum cursu se exercere, Bassis ac præfectis, suo exemplo, stimulos addere, ut brevi (jam enim ver appetebat) arma moturus videretur: licet adhuc de expeditionis ratione ambigua res esset; ac Christophorus Valerius, legatus, qui procul a Rege Byzantii erat, nihil certi significare Senatui posset; cum præsertim Nasuphus ante profectiorem, occultis literarum notis Christianorum legatos ad Principes perscribere, se non passurum affirmasset, in id conquisitores itinerum missurus. Sed tandem omnia industria Valerii vicerat, qui præter cetera, quæ sapienter ad Turcas fallendos commentus est, non publicis veredariis, ut fieri consuevit, sed uni e Janizzeris, integræ ac probatæ fidei, Ascrivium perferendas literas commisit; quod fideliter ille præstitit, quamvis aliquanto serius, longiore quippe suscepto per Olchinium itinere: alteras autem nullis exaratis notis, ne quid esset detrimenti, si interciperentur, per quos tabellarios solitus erat, eodem misit, cum sine publicis literis, proficisci omnino renuerent. Pervenerunt hæ Venetias incolumes, delatæ celerius, & Patribus, qui Valerii astum ignorabant, admirationis & suspicionis injecere quamplurimum. Quare, ut de Turcarum consiliis rebusque certiores fierent, Augustinum Dulcium, Senatus scribam, Ascrivium contendere, atque, si ita ei videretur, in Epirum, Adrianopolim, Byzantium quin etiam proficisci jussere. At cum in itinere esset, de Achomatis repentino atque improvise Byzantium reditu Valerii literæ supervenire, quibus haud parum admirationis cunctis accessit, tantum copiarum, tantum roboris coactum, Regem ipsum regia digressum, ut, nulla edita re, fere inglorius Byzantium